

Q. N. 357, 43.

Q. D. B. V.

T. 169

II f
1140

DISQUISITIO MORALIS,

De

VITA SOLITARIA,

Quam

X 186 1228

in Electorali Wittebergenſi Academia,

Sub PRÆSIDIO

VIRI

Præclariffimi,

DN. M. CHRISTIANI FASELTI,

Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ Ad-

juncti digniffimi,

Fautoris ac Præceptoris ſui æviternum
devenerandi,

Publico Eruditorum Examine

proponit

CHRISTIANUS KARTNERUS,

Reichenbergâ Bohemus,

AUCTOR RESPONSURUS

Ad Diem XXIII. Martii, horis matutinis,


in Auditorio Minori,

ANNO 1667.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

104




Typis MICHAELIS Wendt.

532.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.



INTROITUS.

Diversis diversa placent: nec Vita Solitaria non paucis displicet.
Quisq; sibi placet, & Sapiens sibi quisq; videtur.

Quot capita, tot sensus. Naturâ quidem homo animal sociabile est, sed proprio sæpissimè vitio dissociabile fit. Hinc videas, rarissimè posse, vel duos tantùm, quamlibet maximâ societatis necessitudine devinctos, ad æquum, concordem & stabilem coire convictum. Et, ut de majoribus hominum coetibus, urbibus aut pagis integris, totis etiam collegiis & contuberniis in præsentî nihil dicamus hic; cui obscurum est, quali mas & fœmina, matrimonio conjuncti, ad cohabitationem mutuam & tranquillam & perpetuam obstricti sibi invicem societatis lege sint? Quorum tamen plurimi, irreconciliabilibus nonnunquam dissidiis, singulis propè horis, se disjungunt. Rarò unius milliariis spatium, conjunctis pedum operis, duo emetiuntur homines, qui sermonum immodestiâ suam non dirumpunt societatem. Nec fratrum quoq; consuetudines perpetuò sibi constant. Adeò rectè Poëta sequioris seculi depinxit mores:

— — — *Non hospes ab hospite tutus:*

Nec socerâ Genero: fratrum quoq; gratia rara:

Imminet exitio Vir conjugis, illa Mariti:

Lucida terribiles miscent aconita noverca:

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Ita conjunctissimum quodq; naturâ, in humano genere suo pte vitio parùm cohæret. O perversissimos hominum mores! O detestandam hominum vitam! Sed, quid in desperatâ hac hominum malitiâ, morumq; pravitate faciendum? Num cum Diogene propterea extra omne consortium in dolio latitandum? Ridiculum! Cum hominibus enim homini conversandum usq; adeò, ut, nisi cum Ganymede ad Cœnam Jovis rapi, cum Æneâ ad Elysiis campos deduci possimus, horum conversationem omninò evitare nequeamus. Ferendum igitur, quod non mutandum. Sed nostrum in præsentî non est negotium, prolixius ea persequi. DE VITA SOLITARIA liberioris exercitii & Veritatis indagandæ gratiâ quicquam meditari animo nobis sedet. Esto igitur, assistente DEO Solo, qui in primi Hominis creatione dixit: *Non est bonum hominem esse solum.*

THESIS I.
VITA SOLITARIA simpliciter improbari non potest.

ἐκθεσις.

§. 1. Nihil præter rem, morem & consuetudinem facturos nos arbitrabitur, si in antecessum hîc de nomine *Vita Solitaria* tam seorsim, quàm conjunctim nonnulla præoccupemus. πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα. Nomen enim est rei nota, quæ nobis ad clariorem rei demonstrationem plurimum præstat, monente *Zabarellâ de Trib. Præcog.* Res ipsas loqui DEI gloriosi prærogativa est. Nobis non licet esse tam disertis. Hinc vocibus utimur, rerum simulachris. Harum ambiguitas eludere nunquam solet incautos. Resecanda ergò prius est, quàm ad pleniorum Thematis descendas considerationem.

§. 2. Intelligitur autem hîc *Vita nomine*, non ipsa viventis existentia ab animæ & corporis unione dependens, quemadmodum in Physicis aliàs accipi consuevit; sed viventis saltem conditio, mos vivendi, statum ipsius hominis designans, quo sensu ab Aristotele usurpatur, quando *Lib. 1. Ethic. c. 5.* quatuor Vitæ genera constituit, ἀπολαυστικὸν nempe seu voluptuosum, πολιτικὸν ἢ πρακτικὸν civile & ambitiosum, θεωρητικὸν seu contemplativum, & χρηματιστικὸν ἢ φιλοκερδὲς seu questuosum & lucrativum, quorum prius voluptatem, secundum Virtutem & honores, tertium contemplationem, & quartum divitias pro Summo hominis Bono haberet.

§. 3. Sic adjecta quoq; *Solitaria dictio* non simpliciter & absolutè sumenda, eo nimirum sensu, quo omnem omninò conversationem excludit, & hominum averfationem, meramq; adeò μισανθροπία importat; sed secundum quid & comparatè accipienda est, quatenus ejusmodi solitudinem notat, quæ turbas & frequentias vitat, συμβίωσιν tamen & consociationem quandam non recusat. Nam & is *Solitariè* politico sensu vivere dicitur, qui cum aliis quidem conversatur, sed paucorum saltem hominum homo est, hoc est, qui paucos in amicitiam & familiaritatem suam recipit, neq; vulgo ad eum familiariter aditus patet, neq; se multis communicat, sed paucis, iisq; prudentibus & sanis, qualis fuit Meccenas:

— Paucorum hominum & mentis benè sanæ,
uti videre est apud Horatium *Sermon. lib. 1. Satyr. 9.*

§. 4. Vita

§. 4. *Vita ergò Solitaria* ea propriè nobis hîc esse dicitur, non, *quæ semper inter nullos*, quod rarum est, ut fieri possit, quamquam quidem perversissimè eandem nonnulli similent & sectentur; *sed quæ inter pauculos ad mutuam conversationem agitur*. Circa quam tamen agendam *prudentiâ* cum maximè opus esse videtur; facile siquidem fieri potest, ut *solitarius* istiusmodi *suspicionem alicujus singularitatis, inhumanitatis, morositatis, austeritatis*, utpote quæ solitudinis *socia & comes* fermè *individua* esse solet, aut *superstitionis* etiam incurrat.

§. 5. Cæterùm & differentiam quandam, *inter vitam solivagam, monasticam & solitariam* constituimus. *Vita Solivaga* amplectitur ab iis, qui modò huc, modò illuc inutiliter & sine negotio discurrunt, & curiosorum propria esse dicitur; unde & *solivaga cognitio*, *Wie man von dem Privat Studieren hat/da man in kein Collegium, in kein Colloquium, mit andern gelehrten Leuten kômpt, malè apud Corvinum in Fonte Latinit. audit. Vita verò monastica* in rigore, & usu ab Ecclesiasticis Scriptoribus hætenùs recepto monachis communiter tribui solet; sed *vita solitaria* in genere sese extendit ad omnes omninò, quocunque etiam modo, *solitariè viventes*. Quanquam quidem haud ignari simus, *vitam solitariam Græcis monasticam* dici; sed hic loci non *seruim Grammaticum* attendimus, sed *usum potius receptum* respicimus.

§. 6. Prætereà nec *qualibet vita privata* cum *solitaria* hâc nostrâ promiscuè conjungenda est. Etsi quidem *privati* nomen cum *solitario* nonnunquam coincidere videatur, quemadmodum vox *Privi* apud Apulejũ de DEO Socratis occurrit, pro eo nempe, quod *socio caret*, ubi ita ait: *profana Philosophia turba imperitorum vana sanctitudinis, priva vera rationis*; in Politicis tñ. *privatum* nihil aliud significat, quàm *quod alicui est proprium, publicoq, adeò oppositum*. Unde *vita privata* illa propriè dicenda, *quæ domi, & cum domesticis in privatum & proprium commodum transigitur*; quâ ratione omnes fermè homines *vitam vivere privatam* dici possunt, cum nemo facile in toto genere humano reperiendus sit, qui *propriam salutem & commodum privatum* aliquandò non respiciat. At verò *vita solitaria* eo semper modo sese non habet. Particulariter quidem in hoc vel illo exemplo procedere videtur; Sed ad communem regulam non pertinet. Valet ergò: *Quædam vita solitaria est*

privata; sed non: omnis vita solitaria est privata, cum non omnes, qui solitariam vitam degunt, domi & cum domesticis vivant; sed alibi etiam & cum aliis solitarii nonnulli versantur in privatum non tantum, sed publicum quoque commodum.

§. 7. Unde jam proporro monendum est, quod *vita solitaria* alia sit *necessaria*, alia *voluntaria*. *Necessaria* rursus in *honestam* & *inhonestam* distinguitur. *Honesta* illa dicitur, quam quis *vel nimia asperitate fortune & indigentia*; vel *metu Tyrannorum gravissime in professionem fidei sue sevientium*, amplecti, (quemadmodum olim in persecutionibus Religionis Christianae factum a quam pluribus est, qui in sylvas, in solitudines aut alia in loca minus frequentari solita vitae conservandae causa secesserunt; de quibus Historiae Ecclesiasticae plenissima sunt,) *vel denique tempore pestis aut aliorum ingruentium morborum* in salubriora loca ad tempus aliquod concedere cogitur. *Inhonestam* vero eorum est, qui ob gravissima scelera & delicta poenae loco ad perpetuos carceres damnati in celebritate versari non possunt. Sic *Voluntaria* quoque; & sponte quaesita *vita solitaria* vel *honestam*, vel *inhonestam* dici potest. *Honesta* dicitur illa, quando quis *Primo* studio contemplationis, Sapientiae & Pietatis secessum, otium & loca deserta, in quibus nihil est interpellationum & impedimentorum, *libere* nonnunquam quaerit; cujusmodi *vitam solitariam* omnes illi, qui aliquid vel ingeniose effingere, vel ardentissime ad DEUM precari desiderant, sponte sibi eligunt. Verissimum enim illud Poetae est:

— — — *amant secreta Camoena.*

Imò Christus ipse, cum orare vellet, seorsim concessit, uti ex Historia Evangelistarum patet. *Secundo* quando quis sodalitia prava nonnunquam fugit. *Corrumpunt enim bonos prava sodalitia mores.* *Tertio* quando quis delectationis & recreationis causa in villulis suis vitam otiosam ac quietam ad tempus traducit, ubi, juxta Horatium Oda 2.

— — — *Juvat pastas oves
Videre properantes domum.
Videre fessos vomerem in versum boves
Collo trahentes languido.
Aut trudit acreis hinc & hinc multa cane
Apros in obstanteis plagas:
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos:*

Pavi-

Pavidumq; leporem, & advenam laqueo gruem,

Jucunda captat premia.

Cujusmodi vitam & alibi desideravit Horatius, sic uti videre est *Lib. 2. Serm. Sat. 6.* ubi mentis suæ desideria hisce versibus expressit:

*O Rus! quando ego te aspiciam? quandoq; licebit
Nunc veterum libris, nunc somno, & inertibus horis.
Ducere sollicita jucunda obliviam? &c. &c.*

Inhonestam verò *vita solitaria voluntaria* est, quando quis vel odio negotiorum publicorum in loca *solitaria* se subducit, & ex melancholiâ quadam & morum pravitate aliis prodesse amplius non desiderat, *vel* culpâ suâ sibi fugâ consulit, solum vertit & latebras quærit, *vel* aliâ quacunq; causâ in speciem effectâ cæterorum societate uti non desiderat. Sed uti ejusmodi *solitarios* simpliciter improbamus, ita etiam hic admittere eosdem non possumus.

§. 8. Nec prætereunda quoq; distinctio *officiorum*. Alia enim sunt *publica*, alia verò *privata*. *Publica* sine conversatione expediri vix possunt; siquidem in omnibus causis & casibus sufficere nobis ipsis non semper possumus. *Privata* quidem nonnunquam possunt, sed non sine omni. Requiritur ergò & hic cum aliis, iisque paucioribus & melioribus, conversatio. Nam verè dictum: *solitudo est sollicitudo*.

§. 9. His ita in antecessum præmissis, ad *Theseos* nostræ confirmationem progressum jam paramus propius. Tres verò potissimum *rationes* sunt, quæ nos movent, quò minus *vitam solitariam* simpliciter improbare possimus. *Prima* desumpta est à *vite solitariae* *qualitate*. Ita enim argumentamur:

Quæcunq; vita per se neq; moraliter bona, neq; moraliter mala est; sed indifferenter ad bonitatem & malitiam sese habet, illa simpliciter improbari non potest.

Atqui cum vitâ solitariâ, res ita comparata est. Ergò:

Maj. sua luce radiat. Quæcunq; enim *per se moraliter bona* sunt, illa omninò probanda; quæcunq; etiam *per se moraliter mala* sunt, ea improbanda sunt; quæ verò *indifferenter* ad utrumq; oppositorum sese habent, illa etiam neq; simpliciter probari, neq; simpliciter improbari possunt; sed *in medio* tamdiu relinquenda sunt, usq; dum bonitatem aut malitiam suam à legitimo usu, & pessimo eorundem abusu accipiant. Quod attinet verò Minorem, trimembris

ca

ea est, & quoad singula *membra* probanda. *Primum Membrum* ita
habet: quòd *vita solitaria per se moraliter bona non sit*; id quod inde
probatur, quia cum *lege Naturæ* non convenit, sed potius ipsi con-
tradicit. *Lex autem Naturæ* hominem non ad solitudinem, sed ad
societatem impellit, quod manifestè indicat *tùm appetitus ille na-
turalis*, procreandi sibi, ad conservationem speciei, simile; illa autè
procreatio sibi similis, absq; socio fieri non potest: *Tùm ipsa ho-
minis loquela*, quam ideò *Natura* elargita est homini, non, ut ipse-
met secum colloqueretur, quod vanum esset & supervacaneum,
sed ut eâ uteretur cum aliis agens. *Usus autè nobis lingua* præstat,
& in docendo, & in mandando, negotiando, consulendo, corri-
gendo, disputando, iudicando, & universim exprimendo animi
nostri affectus; quæ omnia ad hominem solum nihil pertinent;
aut frustra planè homini lingua à natura concessa est: *Tùm ipsa
etiam hominis nativitas*. Nam quando ille nascitur, omni auxilio
destitutus, nudus & inermis, quasi ex naufragio, rebus omnibus
amissis, in hujus vitæ ærumnas ejicitur, quiq; ubera materna ap-
petere, neq; injuriam temporis ferre, neq; movere se loco, ubi
effusus est, pedibus possit, nihil aliud, quàm vitam miserrimam,
à fletu & lachrymis auspicari valens, ad omen certissimum urgen-
tis & instantis infelicitatis, consilii & auxilii omnis, quibus tamen,
quàm maximè *tùm* eget, inops: sibi subvenire nequit, nisi alio in-
terveniente & juvante. Et si verò maximè est corpore enutritus,
non tamen animi lumen exserere potest, neq; in adultâ ætate, etiã
externa illa, quibus in vitâ commodè & sanctè degenda opus ha-
bet, in se & apud se invenire, cum suis viribus omnia vitæ subsidia
parare nequeat. His enim supplendis & procurandis, multorum
vires & industria sudant. Quàm diu itaq; privatim sibi vivit, atq;
societati hominum se non immiscet, commodè & benè vivere mi-
nimè potest, in tantâ tot rerum necessariarum & utilium inopiã.
Cum itaq; remedium & auxilium illi ostendatur in vita *συνβιωτή*,
ad hanc, si commodè & benè, imò si vivere cupit, amplectendam
ducitur, & quasi impellitur, in quâ ad exercitium & actionem vir-
tutum, quæ non, nisi in *συνβιωσὶ* hâc esse potest, invitatur. Atq; sic
incipit cogitare de mediis, quibus *συνβιωσις* talis, ex quâ tot utili-
tates & fructus expectat, instituatur, colatur & conservetur. Ut
igitur huc non immeritò referri possit, quòd *homo* in lingua sanctâ
dica-

dicatur *ΨῆΝ*, ab infirmitate & aegritudine ita denominatus, quia Ebraum *ΨῆΝ* aegrum esse, sive infirmate affici significat; & quod ipsa vox hominis secundum Scalig. Lib. 4. Poët. c. 1. à Græcorum *ὄμῆς*, simul, descendat, ut indicetur, quod præ reliquis animalibus omnibus maximè sociabilis homo sit. Unde etiam intuitu hujus Aristoteles L. 1. Polit. c. 2. hominem ζῷον πολιτικόν, animal sociabile vocavit, omni ape, omniq; animaligregali civilius & urbanius vivens, ut Cl. Besoldus in Præcogn. Polit. c. 3. loqui amat, ubi & ista adjicit: eum, qui non fortunâ, sed naturâ alienus est à civitate, quiq; in societate esse nequit, aut nihilo indiget propter copiam, & pars civitatis non habetur; aut improbum esse, aut homine præstantiorem: bestiam nimirum aut Deum, qui ab Homero per contumeliam dicitur:

— — Jure Tribuq; domoq; carens.

Quid? Quod *Vita Solitaria* per se bona esset, maximè etiâ per se appetibilis esset, quia omne bonum per se appetibile est. Jam verò constat, quòd *Vita Solitaria* per se non appetatur, sed nonnunquam propter talem vel talem, vel necessitatem vel utilitatem.

§. 10. Secundum Membrum Minoris illud est, quòd *Vita solitaria* neq; per se moraliter mala sit. Quicquid enim per se moraliter malum est, illud vitiiis accensendum est, quia mala moralia, nihil aliud, quàm ipsa vitia sunt. Jam verò à nemine probari facile poterit, quòd *Vita solitaria* in se spectata & in naturâ suâ vitiosa sit; sequeretur enim, quod omnes illi, qui *Vitam solitariam*, quocunque etiam modo, sectantur, moraliter peccent. Istud verò asserere temerarium foret. Constat enim, ex suprâ dictis, quòd nonnulli necessitate coacti, aut utilitate quadam allecti *Vitam solitariam* ad tempus inter paucos sequantur.

§. 11. Tertium ergò Membrum nobis hîc relinquitur, quod *Vita solitaria* sit media quadam vivendi conditio, indifferenter sese ad bonitatem & malitiam habens. Per accidens enim fit, ut *Vita solitaria*, hæc vel illa, nonnunquam dicatur bona, ab usu nempe suo legitimo; per accidens etiam fit, ut *Vita solitaria*, hæc vel illa, nonnunquam mala & vituperio digna sit, à pessimo nempe ejusdem abusu. Ut adeò non malè hic usurpaveris Terentianum illud in Heavtontim:

Qui uti scit, ei bona, qui non utitur rectè, mala.

§. 12. Hæcenus adducta fuit prima nostra probandi ratio. Sequitur jam secunda, quæ petita est ab accessoriâ honestâ *vita solitaria* commoditate. Argumentamur iterum h. m.

B

Que

Quaecumq; vita sua non destituitur honesta commoditate, illa simpliciter improbari non potest:

Atqui de Vita solitaria verum prius. E.

Maj. ex ipsis terminis satis sibi constat. Min. probatur *Inductione nonnullarum commoditatum à Vita solitaria honestè nonnunquam ad nos redundantium.* Sic quando nos ad tempus à turbis & turmis separamus, illud demum commodi reportamus inde, ut partibus vocationis nostræ eo expeditiùs vacare queamus. Quando enim nobis orandum & precibus DEUS poscendus est, in conclave, vel alium quendam à turbâ remotum locum nos recipimus, ut absq; ullo impedimento eo ardentius preces nostras ad DEUM fundere queamus. Sic etiam quando aliquid meditandum nobis est, in locum aliquem pacatiorem & tranquilliozem secedimus, & quæ volumus, nobiscum disponimus, & tacitè peragimus. Quâ de causâ etiam olim Musæ nemora & montes habitasse à Poëtis creduntur, ne scilicet à turbâ offenderentur, aut à nefariis nebulonibus fenestræ illarum impeterentur. Vid. *Natales Comes in Mytholog.* Interim tamen nobis non imputandum, quasi tacitè simul asseruisse videamur, quòd *solitudo cultui divino absolutè & per se aptissima sit; sed largimur saltim hoc: Quasdam cultûs divini partes, & vel maxime orationem solitudinem sibi poscere.* Aliàs enim non ignoramus, quod DEUS in V. T. certum locum publicum sibi sacrum esse, & in eo invocari & quæri voluerit. Scimus etiam quod ipsis fidelibus in Ecclesia receptum sit, conjungere animi suspiria, & junctis precum vocibus pulsare cœlum; quam unitam precantium vim DEO gratissimam esse, nemo pius negaverit. Nec adeò absurdi quoq; sumus, ut asseramus, illos, qui soli semper conclusi manent, infirmos invisere, cùm pauperibus agere, fratrem corrigere, afflictos consolari posse. Ut de concionibus Ecclesiasticis & cæteris sacris publicis, nihil in præsentia dicamus hîc. Nec mens etiam nostra est, quòd Vita solitaria studiis semper accommodatior sit, sicuti mox patebit ex sequentibus.

§. 13. *Tertia adhuc restat probandi ratio, quæ in quorundam encomiorum pro Vita solitaria prolatorum pondere sita est.* Ita enim sanctissimus ille Hipponensium in Africâ Præsul, Augustinus *Lib. de Singular. Cleric. de Vita solitaria probatæ commendatione loquitur: Minus, inquit, voluptatibus stimuletur, qui non est, ubi frequentia*

quentia voluptatum: & minus avaritia molestias patitur, qui divitias non videt. Cui adstipulatur Seneca Lib. de Moribus, in hæc verba desinens: Solitudinem querit, qui vult cum innocentibus vivere. Quamdiu enim quis, ut addit Origenes Homil. 81. super Levit. permistus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec segregatus est à vulgo, nec potest esse sanctus. Hinc etiam Nicephorus Lib. 12. c. 23. ad Arsenium vocem esse factam: tumultus fuge, & salvabere, auctor est. Quanquam hæc ipsa magnâ cum cautione, uti monet B. Gerhard. in centuriâ qu. Polit. decade 1. quæst. 3. admittenda sint.

THESIS II.

VITA SOLITARIA ob Improborum multitudinem nō est eligenda, ob eamq; conversatio perpetuò fugiēda,

ἐκ τῆς αἰτίας.

§. 1. Non pauci omninò ex solitariè viventibus sunt, qui ob improborum multitudinem vitam hancce suam solitariam sibi elegerunt. Asserunt enim, quòd ex consuetudine cum improbis vitia faciliè contrahi possint. Sed quemadmodum satio propter avium copiam non intermittitur; sic nec propter improborum multitudinem conversatio intermittenda est. Fructus fert & nuces Nux arbor, etiamsi à prætereuntibus impetatur; sic nec bonus à bono desistat, licet malorum quotidie experiatur malitiam. Bonos seligat, quanto potest opere; Si præter spem in malos incidat, sit instar Magnetis, qui ferrum ad se trahit, illiq; etiam aliquid suæ affricat virtutis, non trahitur, aut mutatur ab illo. Vid. Thomas Sagittarius in Exercit. Ethic. Exoter. Exerc. 10. Thes. 1. Et Gvazzus Lib. 1. de civili conversatione p. 5. & seq. Dispiciendum ergò antè probè est, cum quibus conversari oporteat, antequàm in solitudinem hinc abeas. Aliàs enim certum est, quod Virtutes sociorum consuetudine paulatim animis sese ingerant; quodq; in aliis laudabile videt animus honesti & gloriæ cupidus, id nunc severiùs imitari conatur, de quo ante vix cogitaverat. Præterea & nobismet ipsis, cum soli sumus multum sæpissimè indulgemus, cujus nos pudet, præsentibus aliis. Omnia enim mala solitudo nobis persuadet, ut ex ipso Senecâ jam supra monuimus. Imò & ipsa rerum magistra, experientia, plus satis testatur, quod nihilo sæpè sanctiores sint, qui in claustris delitescunt, cum & carcerum coërcitiones vitiosos

rarò emendent. Da mentem ad pejora facilem, da negligentiam formandi, custodiendiq; pudoris, tantò illa liberiùs in omnis generis libidines erumpet, quantò majora flagitiis occasionem secreta præbent. Ita sæpè non accipimus è conversatione vitia nostra; sed in conversationem afferimus. Unde multitudo improborum & vitiosorum *non conversari* prohibet, sed *non imprudenter conversari* jubet.

§. 2. Nesciunt ergò illi, qui ob improborum multitudinem *Vitam solitariam* perpetuò amplectuntur, quas & quamplurimas honesta *conversatio* secum afferat utilitates. Ut de generali illa utilitate, quòd vita humana omnem fermè vigorem suum ex illà sortiatur, nihil adducamus hic, videamus saltem unum atq; alterum fructum specialem. Vel enim *conversamur cum eruditis*, & doctiores inde evadimus: vel *cum Magnatibus*, & honorati exinde sumus: vel *cum piis*, & probiores efficiamur: vel *cum his*, qui humilitate, Temperantiâ, Justitiâ, aut aliis Virtutibus nobis sese probant, & istorum exemplis tum delectamur, tum ad imitationem rapimur: vel deniq; congressiones nostræ fiunt *cum similibus*, ubi similitudinis amabilitas lætitiâ nobis ingerit; & quæ plures aliæ ex honestâ conversatione provenientes utilitates esse possint. Vid. Gvazzus loco supra cit. & Seneca de Tranquillitate cap. 3. ubi contra eos, qui solitudinem in totâ vitâ sibi eligunt, ita scribit: *Si omnem conversationem tollimus, & generi humano renunciamus, vivimusq; in nos tantum conversi, sequitur hanc solitudinem inopia rerum gerendarum. Incipiemus adificia alia ponere, alia subvertere, & mare submovere, & aquas contra difficultates locorum ducere, & malè dispensare tempus, quod nobis natura consumendum dedit.*

THESIS III.

VITA SOLITARIA Sapientiæ studiosis simpliciter necessaria non est. ἐκ θεοῦ.

§. 1. Fuerunt quidem è Vetustioribus Philosophis quidam, qui in solitudines & latebras, Sapientiæ & studiorû gratiâ, concesserunt, quoniam in istis, ut prætendebant illi, animus liberior & magis sui juris esset. Sic Pythagoras à Laërtio Lib. 6. Anno integro in subterraneo quodam specu delituisse dicitur. Sic Epimenides Cretensis *Vitam solitariam* per 57. Annos ad dignoscendam rerum naturâ sectatus legitur in Plutarcho in *vita Platonis*, & in Laërt. Lib. 1.

Sic

Sic Plinius quoq; refert de Endymione, quòd in Latino, Monte Caria dormiens à Lunâ adamas sit, ut Astronomiæ in solitudine suâ eò meliùs operam dare posset. *Lib. 2. c. 9* Sic de Timone illo Atheniensi idem Laërtius *Lib. 9.* & Cicero in *Lelio* memorant, quòd morosissimi ingenii homo fuerit, ac re ipsâ *μισάνθρωπος*, & quasi osor hominum cognominatus. Unde & proverbiali schemate *Timonis vita* ejusmodi vitæ ratio dicitur, quæ secessus ambitiosè extra hominum consortium amat. In quem etiam extat Callimachi Epigramma, incerto autore relatum in Anthologium:

Τίμων μισάνθρωπος ἐνοικέω, ἀλλὰ πάρελθε

ὄμιλιν ἑπας πολλά πάρελθε μόνον.

Id est: *Timo hominum hic osor jaceo, tu, perge, viator,*
Et lugere jubens plurima perge modo.

Vid. Erasmus in *Adag. fol. 663.* Vitam hujus Timonis M. Antonius imitatus fuisse creditur à Plutarcho in *Antonio*, qui videndus. Sic Plinius quoq; solitudinem suam in Laurentino de prædicat, *L. 1. Epist. 9. nihil audio, inquit, quod audisse, nihil dico, quod dixisse pœniteat. Nullâ spe, nullo timore sollicitor, mecum tantum & cum libellis loquor.* Imò & ipse Cicero *Lib. 3. off. plura brevi tempore in solitudine, quàm multis annis stante Repub. in urbe se scripsisse ait.* Sed ejusmodi austeritas non temerè imitanda sapientiæ studiosis quibusvis est. Singularibus quidem ingenii & ingeniorum studiis, quemadmodum Schönbornerus *Lib. 1. Polit. c. 4. Solitarios quosdam præstantiores naturam fecisse* scribit, aliquid nonnunquam dandum & condonandum est; sed generalem quandam regulam ex ipsorum actionibus præscribere nobis non debemus.

§ 2. Sit verò aptissima omnibus studiis *solitudo*, adeò tamen studiis adversa societas non est, ut vacare homo literis, nisi solus, nequeat; quòd tantum abest, ut sui etiam perfectionem à doctâ collatione studia petant. Differendo enim & disputando augem⁹ eruditionem: alios vero audiendo primùm eam acquirimus, nec certior alia, nec probata magis eruditis ad eruditionem via est. Quod si eodem per solitudinem ire possis, lumen tamen honestioris alicujus conventus tenebris præferendum. Quod igitur futuro oratori inculcat Quinætilianus *Instit. Orator. cap. 2. id Literarum omnium alumnis meritò quoq; commendamus: Ante omnia, scribit ille, cui in maximâ celebritate, & in mediâ Reipublicæ luce viven-*

dum est, affvescat jam à tenero non reformidare homines, neq; illa solitariâ & velut umbratili vitâ pallefcere. Quod verò deinde subdit, omnes sibi dictum facile intelligent: Excitanda mens & atrollenda semper est, quæ in bujusmodi secretis aut langvescit, aut quendam velut in opaco situm ducit: aut contra tumescit inani persuasione. Necessè est enim nimium sibi tribuat, qui nemini se comparat. Deinde cum proferenda sunt studia, caligat in sole, & omnia nova offendit, ut qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est. Verissimum quidem est, quòd sapientiæ studiosi multos secum congerrones svavissimos, h. e. libros, habeant, vivi tamen propterea Magistri non deserendi semper sunt. Hinc sæpiùs laudat Gvazzus errare eos pronunciat, qui credunt doctrinam in solitudine inter libros acquiri potius, quàm in conversatione inter homines doctos ex sententia Philosophicâ: scientiã meliùs apprehendi auribus, quàm oculis. Item ex Scito illo: utilius esse cum vivis loqui, quàm cum mortuis. Idem etiam asserere non dubitat principium & finem scientiarum à conversatione dependere, quia literatus de suâ scientia nihil sibi polliceri possit, nisi cum aliis doctis conversetur, quibus cum discurrendo & disputando, eruditionis suæ certus reddatur.

THESIS IV.

VITA SOLITARIA cœlibatum sequentium, promiscuâ tamen libidine utentium, in Republicâ non est toleranda.

ἐκθεσις.

§. 1. Hic in genere Primò de Cœlibatu notandum, quòd talis vitæ status sit, quo quis & benè & malè uti potest, adeoq; ex genere eorum, quæ ad aliud referuntur. Qui enim continentie dono, ut Theologi loqvuntur, instructi sunt, nec sentiunt interiores ustiones & flammæ, illi liberè eundem sequi possunt, modo non subsit opinio alicujus cultûs & boni operis, quemadmodum quidem inter Pontificios commendatur & celebratur; qui verò continentie dono præditi non sunt, illis præstat, ut matrimonium incant, quàm promiscuâ libidine & concubitu gaudeant.

§. 2. Deinde in specie tenendum, quòd cœlibatus non nisi in personis idoneis, uti jam expositum, in Republica tolerandus sit; in personis verò inidoneis, promiscuè libidine gaudentibus, minimè concedendus, atq; tolerandus est. Hi n. totius Reipublicæ famam labefactant, & nescio quæ non horrenda alia vitia, flagitiosissimâ hacce vitâ suâ in eandem introducunt. In hoc n. vite statu, ut Excell.

Dn. D.

Dn. D. Wendelerus in practica sua Philosophia p. m. 524. ex Claudiano loquitur, non generis nexus, non pignora cura, sed numero langvet Pietas. Cujusmodi cælibes olim fuisse dicuntur Gindanes apud Herodotum Lib. 4. Dapso- libyes apud Nicol. de moribus gentium, nec non etiam Adamitæ & Marcio- nitæ &c. in Veteri Ecclesiâ. Imò inter Philosophos quoq; Plato uxorum in Republicâ communionem introducendam esse statuit.

§. 3. Cùm a. nihil adeò sit absurdum, quod non aliquem inveniatur Veri- tatis prætextum, ideò etiam illi, qui pro vitæ hujus statu pugnant, hujus suæ absurditatis talia conquirunt *ὡς ἰσοματὰ* & argumenta. Primo dicunt, quod ad promiscuū uxorum usum natura ipsa homines quasi impellat, quod videre lice- ret in brutis animantibus, qui promiscuum amarent congressum. Sed bruta sunt, qui brutam hancce brutis animalibus usitatam consuetudinem defendunt. Licet quidem promiscuus ille congressus brutorum naturalis sit, naturalis tñ. minimè ipsis hominibus est. Ergò aliud est naturale in genere brutorum, quod ad naturam refertur, nullo habito vel honestatis vel rectæ rationis respectu; & aliud est naturale in genere hominum, quod cum honestate & rectæ rationis dictamine, naturale dicitur. Jam verò recta ratio ejusmodi promiscuum concubitum homini non svadet.

§. 4. Reponunt verò Secundo, quòd homo sit animal liberum, nullisq; adeò vinculis præ aliis animantibus adstringendum. Conjugium a. esse ejusmodi arctissi- mum vinculū, quod dissolvi facile non possit. Sed si hoc valeret, tollendæ omnes societates humanæ essent, cùm nulla ferè reperitur, quæ non certis vin- culis hominem constringere possit. Disting. ergò inter vinculum necessariū & arbitrariū, liberum & coactum: coactum saltim & necessarium, non verò liberum & arbitrariū cum humanâ pugnat libertate. Cum igitur ipsum con- jugij vinculum ex sanâ ratione & libera electione sit profectum, adeoq; sit spontaneum quasi vinculum, neutiquam libertati potest esse contrarium.

§. 5. Tertio & illud adducunt, quod mulierum pravitas decantatissima sit, quòd scilicet tales sæpè diligant lites, rixas, sint avaræ, sint pauperes ad bonâ con- silia, artifices optimæ malorum, sint *δαπανηαὶ* sumtuosæ, superba, inconstan- tes, varia & mutabiles &c. adeò ut Hipponactes apud Stobeum Serm. 67. bi- nos tantummodo dies cum uxore jucundos faciat, alterum, quo ducitur, alterum quo mortua effertur. Unde etiam versiculi illi vulgati:

Fœmina nulla bona est, & si quæ contigit ulli;

Nescio, quo fato res mala facta bona est.

Sed gravissimum scomma est, fœminam nullam esse bonam. Contrarium n. ejus primus autor Deus, communis mater natura, universalis etiam omnium temporum experientia, quia singulis temporibus fœminæ etiam quædam optimæ floruerunt; fœminarum deniq; status, usus, effectus, & alia plurima evincunt

evincunt. Disting. igitur inter *fœminarum substantiam*, quæ semper bona, & inter *fœminarum Accidentia*, quæ nonnunquam mala sunt; Sed

Est mala mixta bonis, & bona mixta malis.

Non omnes bonæ, nec omnes etiam malæ sunt. Vitium igitur quarundam non omnibus est impurandum. Sicut n. multi virorum sunt pessimi, nec tamen hoc sexui universo est adscribendum; ita par de individuis, non verò de sexu fœminarū ferendum est iudiciū.

THESIS V.

VITA SOLITARIA hodiernorum Monachorum prorsus improbanda est.

ἐκ τῆς αἰτίας.

§. 1. Ut Primò de Voce Monachi, aliquid etiam constet, sciendum est, quod varix dentur derivationes ejusdem. Nonnullis enim *Monachus* dictus est, quasi *μόνος ἀρχός*, h. e. Solus tristis; nonnullis derivari scribitur à *μόνος*, unus, & *ἑκστάς* custos, quod unius animæ custos sit; alii verò Monachum dictum esse censent à *μόνος* solus, & *εὐχῆ* precatio, quod solus in suo monasterio, & cellula, & non in multitudine hominum oret; Sed ejusmodi derivationes, quæ à Canonistis & Pontificiis traduntur, prorsus ridiculæ & falsæ sunt; sicuti demonstrat B. Gisenius in *Papismo disp. 16. n. 1.* Vera autē derivatio Monachi ea est, quod dicatur à *μόνος*, h. e. à solo, quod solitariam vitam amplectatur, solus extra turbam vivat. Propriissimè non sunt Monachi, qui in urbibus intra homines versantur, licet sint cœlibes & contemplationi inhæreant. Plura vid. in *Phil. Sobr. B. Balt. Meisn. part. 2. pag. 475. & seqq.*

§. 2. Ceterùm verò notanter hodiernorum Monachorum vitam solitariam in Thesi nostrà adduximus. Cum vetustioribus enim primis, nobis nullum hic commercium. Non enim nos latet, quod *Vita* illorum solitaria non simpliciter damnanda, sed potiùs excusanda sit, cum propter gravissimas persecutiones Tyrannorum in solitudines aufugere, ibiq; sese occultare coacti fuerint, de hodiernis ergò nobis unicè hîc sermo est, quorum singularitatem prorsus rejicimus, atq; dampnamus; Idq; 1. quia repugnat institutioni vite humane à Creatore optimo factæ. Deus enim hominem sociabilem fecit, & quidem in societate vel œconomicâ, vel Politicâ vel Ecclesiasticâ vivere voluit. Ab his autem societatibus prorsus se segregant isti Monachi, & eam amplectuntur solitudinem, quæ præter hominum institutionem, ut plurimum superstitiosam, nullam sui novit originem. 2. Quia vite humane utilitatibus parum illi aut nihil inserviunt. 3. Quia æquivocè sic dicta Vita solitaria est. Perreptant enim omnes Aularum, Regionum & terrarū angulos, tanquam exploratores, proditores, faces & tubæ omnium turbarum, adeò, ut non malè Lælius Capilupus in *Centone Virgil.* de vitâ Monachorum cecinerit:

Fit via sibi, & penetrant aulas & limina Regum,

Discurrunt; alii ad portas, & tecta domorum,

Contrectare jubat prædas & vivere rapto.

Tanta ergò Monachorum Papalium malitia, ut rectè dictum:

quicquid agit mundus, Monachus vult esse secundus;


Siquidem; *Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet*

Effretis Monachus plenâq; fraudis anus.

Sed pluribus hæc & alia persequi nobis impræsentiarum non vacat. Concludimus ergò præclare illo dicto, quod multi quidem laudant, pauci verò observant:

Crede mihi: Bene qui latuit, benè vixit & Idem:

QANTIA 1140 SOLI DEO GLORIA.



B.I.G.

Farbkarte #13

Q. H. 357, 43

Q. D. B. V.

DISQUISITIO MORALIS,

De

VITASOLITARIA,

Quam

in Electorali Wittebergenfi Academia,

Sub PRÆSIDIO

VIRI

Præclarissimi,

DN. M. CHRISTIANI FASELTI,

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Ad-
juncti dignissimi,

*Fautoris ac Præceptoris sui æviternum
devenerandi,*

Publico Eruditorum Examine
proponit

CHRISTIANUS KARTNERUS,

Reichenbergâ Bohemus,

AUCTOR RESPONSURUS

*Ad Diem XXIII. Martii, horis matutinis,
in Auditorio Minori,*

ANNO 1667.



X 186 1228



104



Typis MICHAELIS Wendt.

532.